

Ad urbem recipiendam confestim classis decernitur , cui  
Belletus Justinianus est præfetus . Dux interim anno sui  
regiminis duodecimo ac mense nono , diem obivit : ejus  
funus ad Cypriani ædem est elatum .

Marinus Georgius , cui a probitate vitæ Sancto cognomen fuisse traditur , Gradonico successit ; toto fere hujus Principatu , qui annum non explevit , Veneti ob Ferrariensem causam Pontificis interdicto obnoxii fuere ; hinc fuit , credo , quod domi forisque Respublica parum fœliciter sit administrata . Nam in quam apertum discrimen Tepulana conjuratio civitatem adduxerit , proximo loco ostendimus . Sed nec apud Jaderam quidem paulo post est fœlicius bellatum . Trajecerat in Dalmatiam Belletus Venetas copias , & in iis mille equites , quibus Dalmatium Patres præesse voluerunt , hominem strenuum , ac Hispani generis , cuius ductu circa Ferrariam , quum Pontificis stipendia faceret , Veneti ex urbe cum multa cæde fuerant in arcem compulsi . Quum itaque classis ad insulam quæ urbi proxima est , stationem haberet , Dalmatius cum toto equitatu in continentem egressus , loco Jaderæ propinquo metatur castra , vallo ac fossa munit . Erat Jaderæ præsidio barbarus quidam , cui Banno erat nomen : is , copiis urbe eductis , & ipse ab Dalmatii castris mille passus confedit . Tota fere ætas sine ullo memorabili prælio hic consumpta est . Et jam autumnus appetebat , nec spes interim ulla potiundæ urbis aderat . Bannus pacem levioribus tentat conditionibus : quam quum non impetrasset , ad dolum versus cum Dalmatio clam egit , ut a Venetis in urbem transiret , factaque transitione , duo millia aureorum nummum in præsentia acciperet , præcessetque tam diu urbi cum amplissimo stipendio , quam ipse præesse vellet : tantum ad hæc tritici & omnium quæ ad victum requiruntur , oppidani darent , quantum ad domesticum usum satis esse crederetur : promissa insuper navigia , quibus impedimenta suosque in Italiam aut alio , quotiens inde abiire vellet , tuto trajiceret . His in hunc modum comparatis , simulat Dalmatius , quasi longioris moræ impa-

*Marinus  
Georgius  
Dux crea-  
tur.*

1312

R tiens ,